



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 30. De Vrvaicensibus coloniis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

crederetur : sed indicio hujus rei accepto, dæmonis fallacia, Sociorum vigilantia, dissipata est. Multi, ut fit, transmigratori restiterunt, antiquis sylvis se abducentes, quos Socii & fideles Neophyti repetitis excursionibus à fuga retraxere. Præterea interjecto tempore crevit oppidum (in quo ego per biennium vixi) novis accessibus Barbarorum grandi Christianæ rei incremento.

**T**RADUCTIS Iguasuanis, decem oppida ab Societate constructa in Urvaicensi regione censebantur, de quorum rebus hæc pauca accipe. In Conceptionis oppido in memoriam patientis Christi introductus publicæ flagellationis usus magnam admirationem habuit : nam viri puerique ad eum se acerbe cruentavere, ut modus adhibendus fuerit rigori, eò magis commendando, quòd ea gens suis corporibus indulgentissima sit, & ante susceptam Fidem etiam pro castigandis pueris nomen flagrorum penitus ignoraret. Sed Fide semel imbuti ardebant plerorumque animi pro admittis delictis in se severissime animadvertentium, & alia virtutum exercitia Europæis Christianis usitata usurpantium. In eo oppido ducenta & quatuor capita Christianis accessere. Sed longè plures in Piratinensi colonia, quorum incolæ Neophyti Ethnicos summâ curâ conquistos Sociis baptizandos tradidere. In Japæivensi oppido, publico apparatu, & remotorum populorum concursu, Venerabile Sacramentum primò expositum est. Purificatæ Virginis colonia fortuito igne magna ex parte flagravisset, ne flamma templum involveret, statua Reginae Cælorum opposita est, optimo successu. Numerus Caasapaminensium hoc anno ad partes Christi traductorum quingentos & viginti superat. In Sancti Francisci Xaverii oppido trecenti nonaginta & unus, magna ex parte adulti, salutaribus aquis immersi sunt. Ex Caaiuarum gente viginti-quatuor capita se ultrò Sociis tradidere. Transfugarum manipulus ad ovile Christi postliminiò etiam reductus est. Hoc oppidum in commodiorem locum translatum, sub tanto patrono hæctenus feliciter, aucto numero, perennat. Socii in Assumptæ Virginis Neophytorum colonia præter quadringentos & octo adultos, octoginta-novem infantes baptizavere. Imaginem portentoso sudore apud Acaraïenses commendabilem è Parana huc translata magnâ pompâ in templum invexere. Neophytus à popularibus suis monitus, ne Sacrum die festo omittere velleret, post spretam monitionem repentino fato interiit. Alterum Sacri etiam audiendi die festo negligentem fulgur interemit. Nonnemo sub initium Quadragesimæ sacros Cineres spernens, eo ipso tempore, quo Neophyti cineribus ritè aspergebantur, à prædonibus fœdè trucidatus est. In Caaroënsi Sanctorum Japoniæ Martyrum oppido, sub cura Josephi Oregii & Petri Spinosa quingenti & octoginta-duo Christiano ritu abluti, & quadraginta paria Matrimonii vinculo adstricta sunt : in Quadragesima subinde uno die trecenti numerati, qui se asperâ flagellatione exciperent, pueris vix infantia egressis parentes suos exemplo animantibus. In Principum Apostolorum apud Caasapaguaenses, Adriano Knudio ministro, quadringentos adultos, & ducentos infantes, Christianorum albo inscriptos fuisse constat. Nec minores fuere progressus apud Caapienses, Petri Molæ infatigabili labore rem Christianam promovente. Sancti Caroli oppidi Patroni imago, Ludovici Bergeri penicillo depicta, magno Caapiensium plausu, non sine pompa, in templo collocata est. Ex hoc compendio viri cordati conjicient magnos Sociorum Urvaicensium labores, diu noctuque animarum prædæ invigilantium, & latebras omnes ac sylvas excutientium, quo certatim, quanto maximo numero possent, Christi gregem auferent.

**P**ORRÒ quamvis tanta, quanta narravimus, ad Urvaicam gerebantur, longè tamen notabiliora fuere Tapensis Provinciae incrementa. In Sancti Michælis oppido Christophorus Mendocça, & Paulus Bennavidius octingentos & quadraginta-quatuor magno labore abs se reductos in numerum filiorum Dei coopravere. In Sancti Thomæ colonia nongenta adultæ ætatis capita, præter sexcentos infantes, ab Ludovico Ernoto & Emmanuèle Bertot Christiano ritu lota sunt; longè pluribus in utroque oppido in Candidatorum catalogum relatis. Ibidem Indum quinque

O o

pellicibus

CAPUT  
XXX.  
De Urvaicensibus  
coloniis.

*Ibidem* quatuor-  
decim voluntaria ca-  
stigatio.

*Quatuor* et  
ducenti bap-  
tizantur.

*Item* viginti  
supra quin-  
gentos.

*Item* 391.

*Circiter*  
quingenti.

*Sacri* viola-  
tor castigat-  
us.

*Et* cinorum  
sacrorum.

*582* bap-  
tizantur.

*Item* sexcenti.

*Et* totidem  
fermè alii.

CAPUT  
XXXI.  
Sanctorum  
Michælis  
& Thomæ  
oppidorum  
incrementa.  
844 bap-  
tizati.  
*Item* mille et  
quingenti.